



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius, in visitationem Saxonicam

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

Illvstrissimo ac Generosissimo Principi & Domino D. Ioanni, Ducis
Saxoni[a]e, Sacri. Rom. Imperij Arachimarscalco, Principe Electori,
Turingiae Lantgrauio, ac Misnae Marchioni, Ioannis Cocl[a]eus. S. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

ILLVSTRISSIMO AC
Generosissima Principi & Do-
mino D. Ioanni, Ducis Saxonie,
Sacri Rom. Imperij Archimar-
scalco, Principi Electori, Turin-
giae Lantgrauio, ac Misnae Mar-
chioni, Ioannes Cocleus. S. P. D.

Llustriss. ac generosiss. Prin-
ceps, & Domine, Posteaquam
in has terras Aquilonares,
vbi latissima ditione impe-
ras, migravi, Rhegni ameni-
tate relicta, vt sub illustriss. ac Pientiss. Prin-
cipe, & Domino D. Georgio, Duce Saxonie,
& c. Patruele tuo, D. & Patrono meo Clemen-
tiss. ac plurimum gratioso, & Deo seruiam deuo-
te, & Ecclesiae obediā fideliter, ac Illustris-
sime Domui vestrae pro virili grata praestem
obsequia: Nihil mihi visum est, vel necessa-
rium magis, vel commodius, magisque profi-
cuum, quam Illustrissime, D. T. ita depingere,
& ob oculos ponere Martinum Lutherum, qui
renouatis reprobatorum hominum dogmatis, ter-
ras Principatusque vestros conturbat, vt aper-

EPISTOLA.

Edictum
Caesaris.

Minotaurus
Saxonicus.

tissime videas tandem, quid boni ex doctrina
eius, vel sperare, vel promittere queas. Credere
quidem debueras Inuictiss. Caesari nostro, ac
reliquis sacri Roma. Imperij Principibus &
proceribus, quando Vvormatiae in publico
Edicto affirmabant. Vnicum istum, non ho-
minem, sed tanquam Diabolum in specie hu-
mana sub habitu Monachali, plurimorum ha-
reticorum summe damnatas haereses, diu ab-
sconditas, in vnum lacum foetidum congre-
gasse, ac de nouo aliquas excogitasse. Neque
contemnendum prorsus erat, dirum illud por-
tentum, quod post Edictum Caesaris in Saxo-
nia visum est, dum nasceretur vitulus cucul-
atus, quem ego in typo Minotaurum Saxoni-
cum, Bohemicae Pasiphaes filium, si non ele-
ganter, probabiliter certe dixi. Atque isto ta-
men in eum carmine, non ioco sane sed serio
lusi, ante tot caedes ac seditiones, quae portetum
istud sequuntur sunt.

Monstra bouemque cano, Boreæ, qui
primus ab oris
Teuthonicas terras profugus conspur-
cat, & omnem
Sub specie Monachi violat pacemque
fidemque, &c.

Quod si mea qualiscumque admonitio

EPISTOLA.

iure contemptibilis videbatur, profectò non
 debebat poenitus negligi, à nobis grauis illa
 Prefatio R. P. Integerrimi ac eruditiss. Viri
 D. Ioannis Episcopi Roffensis, in defensionem ^{Monstrosa}
 Assertionis Regiæ: In qua sanè luculèter osten- ^{belua.}
 dit, tum ex sacris literis, tum ex propria Luthe-
 ri confessione, in quale monstrum excreuerit
 vulpes illa paruula. Sed quid dixi vulpem (in-
 quit) ? parum est, Canem dixissem rabidum,
 imò lupum rapacissimū, aut scævissimā quan-
 dam Ursam, quæ raptis catulis furore quodam
 agitur, vel magis hæc omnia simul. Multas
 enim hoc monstrum intra se bestias alit, Por-
 tentosa certe belua, adeò, vt nec earum bestia-
 rum, quas Daniel in mari vidit, horrenda mon ^{Dan. 7.}
 strositas poterit huius vnius beluæ maliciam
 sufficienter exprimere. Hæc ibi. At, dum con-
 temnimus nos hæc omnia, Deus interim non
 irridetur impune, qui pacem suam ita tollit à
 nobis, vt neque foris, neque intus pax nobis sit
 vlla. Scuit foris gladius armorūque terror
 & seditio, intus pauor & rixa conscientiæ.
 Scriptum est enim, Impij quasi mare feruens ^{Esa. 57.}
 quod quiescere non potest. Non est pax impiis,
 dicit dominus. Atque vt intelligamus hæc
 mala ex diuina vltione prouenire, In eos sem-
 per hæctenus versa est vindicta, qui religio-

EPISTOLA.

In lib. cōtra
epistolā Re-
gis Anglia.

nem antiquam novi Euangely prætextu violā-
re ac conculcare tentauerūt. Cū autem Euan-
gelistæ noui nimium sint arguti ad excusan-
das excusationes in peccatis, & ad gloriādum
in malicia sua, vt persuadeant Illustriss. D.T.
nihil pertinere ad Lutherum monstra & por-
tenta bestiarum, cum Lutherus homo sit, non
bestia: Tametsi Ursam & leenam, ac veram
feram, seipsum dixerit ipse: Aliud tibi nunc
monstrum propono in humana quidem effigie,
sed quale natura humana nunquam produxit.
Non ergo existimandum est à Deo, aut natura
monstrum hoc esse. (Quomodo enim tam mon-
strose aberraret in opere suo Deus aut natura?)
Sed ab illusore potius & inimico antiquo ge-
neris humani, qui mox ab initio primos homi-
nes in specie serpentis decepit, ac variis dein-
ceps formis in Faunis, Satyris, Silenis, aliisque
monstris, & præstigiis, Gentes illusit. Ferunt
quidam in Aphrica reperiri alicubi Draco-
nem trium aut quatuor capitum, & à Poëtis
celebratur Geryon triceps, in Hispaniis ab
Hercule deuictus, atqui hominem septem ca-
pitum nullu vsquam, aut vngquam terra pro-
duxit, qualem sua doctrina peperit Lutherus.
Videbis sanè ista capita septē tā diuersa inter
se intellectu & sententia, quàm sunt habitu

EPISTOLA.

figurâq; distincta, vt certissime credas ac pronūcies, vel ipso authore testēque, & iudice Luthero, non ex Deo, sed ex Diabolo esse tātam in doctrina dissensionem, nec opus fore Catholicis, aduersus eum multas adducere, vel scripturas, vel rationes, aut sanctorum patrū Conciliorūque sententias, cum possit facillimē proprio iugulari gladio, haud secūs atque spurius ille Philistæus, Goliath, quo certe non paulò impudentior improbriorque est Lutherus. Ille nanque ex omnibus vnum prouocabat ad singulare certamen: hic autem cum sit viribus longe impar, prouocat omnes in vnum, in sua Babylone, prouocabat ille hostes duntaxat: hic autem prouocare audet in vnum, non solum omnes Papistas (vt vocat catholicos) veteres suos aduersarios, verumetiam cunctos Suermeros, fratres, & amiculos suos aureos: Quin etiam Diabolos ipsos, quibus tamen alibi se non vulgariter notum esse, nec vnum salis modium cum eis comedisse gloriatur. Atque vt eum insania ipsa insaniorem esse non dubitemus, Deum quoque Omnipotentem tandem prouocauit ac prouocare docuit. Ea enim certitudine tentandum est (inquit) quod prestitistis, vt non modo totius Mundi iudicia pro foliis leuibus, & summis aristis habeamus,

Lib. 2. contra
tra Zuingli.
& Oecol.

1. Reg. 17.
In cap. Babyl.
cap. de Eucharist.

Contra Epistolā Regis
Angliæ.
In sermone
Dominica
Reminiscere

In prologo
de abroganda
Missæ.

EPISTOLA.

sed & armati sumus in morte, aduersus portas inferi, quin etiam aduersus iudicium tentatis Dei pugnare, & cum Iacob contra Deum preualere. Nos autem verissime dicimus ei, Quid miser & stulte provocas alios, qui toties expugnas te ipsum? Quis phreneticorum toties momordit seipsum, aut suas dilaniavit carnes? Quoties tute ipsum mordes ac discerpis? Vbi est frons? Vbi memoria tua? Quis vnquam toties redarguit seipsum? Audeo certe (Illustriss. Princeps) affirmare, nullum vsquam, aut vnquam librum huic nostro similem in terris visum esse, non sanè, quod hic noster adeò sit vel elegans vel eruditus, sed quòd est vsque adeò monstrosus, quia nemo vnquam repertus est, qui toties contrarius fuerit sibiipso, vel in figmento, vel re ludicra. Quoties contradicit sibiipso in rebus maxime seriis, & ad æternam salutem necessariis septiceps iste Lutherus? Hunc igitur laborem ea intentione suscepi, vt fideliter præmoneam Illustriss. D.T. ne confidat nimium magnificis Lutheri pollicitationibus & iactantiis. Vereor enim ne Illustr. Saxonie Domus gravè patiatur ruborem, si tamdiu sub ea permanserit Lutherus, donec sistendus sit conspectui & iudicio Magnatum & Prælatorum, vel in Concilio generali,

vel

EPISTOLA.

Vel in Conuentu Imperiali coram Cesare.
 Scio enim nullum vnquam productum fuisse
 reum in iudicium, qui vel grauius accusari,
 vel manifestius conuinci potuerit, quàm accu-
 sari ac conuinci queat Lutherus: quo nemo fuit
 seditiosior, nemo maledicentiôr, nemo contu-
 mator, nemo magis impius & scandalosus,
 nemo magis hæreticus, & blasphemus, nemo
 denique crimini lesæ maiestatis magis illiga-
 tus & obnoxius. Precor itaque & obtestor
 (Illust. D. T.) per maiorũ tuorum gloriam &
 pietatem, per clarissima eorum gesta, per arma
 Hussitis veteribus fortissime obiecta, per pios
 eorum manes, qui cum Deo & Angelis eius
 viuunt, per dignitatem quam ab eis heredita-
 rio iure accepisti, vt melius ac diligentius quàm
 hæctenus, considerare digneris, quò res ista ten-
 dat: Quàm non sit laudabile tanto Principi,
 eique tam grandæuo, plus credere vni crimi-
 noso Apostatae, qui vsque adeò instabilis est,
 & sibi ipsi cõtrarius, quàm sanctis patribus,
 quàm sacris Conciliis, quàm scripturis & ra-
 tionibus Ecclesiæ Doctorum, quàm toti deni-
 que mundo ac Deo ipsi, contra cuius iudicium
 ille pugnare ac præualere non minus furiosè
 quàm stultè ac vanè conatur: Cum interim
 respondere non possit Episcopo Roffensi, non

EPISTOLA.

Clichtoueo Neoportuēsi, non D. Ioanni Fabri,
 non D. Eckio, non D. V. Vimpinæ, non aliis, ad
 quorum multa & magna volumina contra
 se ædita, aut tacet omnino, aut calumniosum
 breuiter obiicit scomma, satis habens, si rudi
 populo doctus videatur, & inuictus. Quan-
 quam nunc maior pars etiam Lutheranae plæ-
 bis in aliquot articulis plus credit Suermeris
 aliis, quàm ipsi Luthero. Pars verò resipiscit,
 ad Ecclesiámque & veterem religionem re-
 uertitur. Deus Opt. Max. tibi cor, oculosque
 aperiat. Itidem in pietate ac religione antiqua,
 vt præstigias maliciámque, & peruersitatem
 superbi Apostatae videre ac internoscere
 quæas. Bene Vale (Illust. Princeps) & hanc
 meam operam clementer in meliorem, in qua
 verè insumpta est mihi, accipe partem.

Ex Dresda IIII. Nonas Ianuarij. Anno à
 Natali Domini. M. D. XXIX.